



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

VII. De prauis dæmonum studijs & infestationibus, ad homines seducendos
& perdendos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

cuius delectationis, disputatur inter Vasquez disp. 242. c. 3. & Suarez hic c. 15. Breuiter dico, nullam vnquam veram delectationem, sed solum phantasticam & affectatam esse in dæmonibus, prout homines peruicaces, amaritudine repleti, ostentant nonnunquam lætitiā, quam non habent. Ita docent S. Thomas in 4. dist. 45. q. 1. a. 2. quæstiun. 1. Gabriel in 2. d. 7. q. 1. a. 3. Ockam in 2. qu. 19. & Vasquez loc. citat. etsi contrarium sentire videantur idem S. Thomas hic. q. 46. a. 3. ad 1. cum Augustino lib. 2. de Genes. cont. Manich. c. 17. & Alensis 2. part. q. 100. m. 4. a. 1. & 2. & Suarez loc. cit. Ratio est, quia iuxta Aristotelem 7. Eth. cap. 14. Omnis voluptas vehemens pellit dolorem: Ergo etiam dolor vehemens pellit & impedit voluptatem seu lætitiā; etsi non impediatur desiderium, sed potius accendat. Atque hæc de pœna dæmonum fati.

DVBIUM VII.

De prauis demonum studijs & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos: spectatim an demones absque speciali permissione Dei, siue per se, siue per striges, maleficosque homines, nocere hominibus possint.

S. Thomas 1. p. q. 64. a. 4. & q. 114.

DE hac re solum generatim & breuiter agit S. Thomas q. 64. a. 4. ex instituto vero & participatim q. 114. Nos supponimus id veluti principium, quod dubio præcedenti docuimus; demones quosdam ex diuinæ prouidentie dispositione in hoc mundo inter homines degere, partim vt dum Deo permittente, ijs tentandis & exercendis operam ponunt, bonum eorundem, Deiq; gloriā vel inuiti, & quasi præter intentionē percipient & promoueat, vt pluribus disserit Chrysostr. homil. 1. ad populū & psequitur Barradius lib. 2. concord. c. 8. & seq. partim etiā vt veluti ministri diuinæ iustitiæ, homines ob sua peccata castigēt & puniant; quod Deo etiā nonnunquā precipiente & directe volente facere possunt, in ijs pœnis exequendis, quæ p se culpa vacant, vt bene declarat Suarez hic l. 8. c. 20. n. 7. & 8. Vnde Beda l. var. q. 9. Quæties, inquit, Deus quocumq; flagello huic mundo irascitur, ad ministerium vindictæ Angeli (mali) mittuntur: qui tamen diuinā potestate coercentur, ne tantum noceant, quantum cupiunt. Hoc principio posito, re hæc omnē aliquot quæstiun. breuiter explicabimus.

2 Primo igitur quæritur, vtum omnes dæmones promiscue ad tentandos homines in hac vita incumbant. Respondeo breuiter ex dictis dub. præc. immediate ac per seipfos non tentare, nisi eos, qui in terra seu aëre inter homines degunt; quod quidē contingit non omnib⁹ simul, nec determinate ac ppetuo certis quibusdā, sed alternatis quasi vicibus, modo his, modo alijs; hoc solum excepto, quod suprem⁹ Lucifer in inferno vsq; ad tempora

Antichristi alligatus creditur, iuxta Apocal. 20. At vero mediate & consilio atq; hortatione credibile est, omnes pariter ad seducendos homines operam conferre: cum id & facile possint, & ob sumum, quo erga homines feruntur, odium & inuidiam, vtique etiam velint.

3 Secundo quæritur, vtum inter dæmones, quoad homines tentandos, sit aliqua subordinatione, ita vt alij aliorū iussu & auctoritate hac in re ducatur. Respondeo cum S. Thoma q. 109. a. 2. Guilielmo Parisiensi 2. part. de vnuer. p. 2. c. 14. 15. 16. & Magistro, & cōiuni Doctorū in 2. d. 6. fentētia, quā bene explicat Gregorius de Valentia disp. 8. q. 4. pun. 3. & Suarez hic l. 8. c. 21. esse plane inter dæmones aliquā prælationem, fundatam quidem in ipsa eorundē natura, prout alij alijs secundum speciē sunt superiores; sed quæ tamē tum ex voluntario eorundē consensu, tum etiam ex ipsa ordinatione diuinæ prouidentie ac sapientie, partim id permittentis, partim etiā ad bonum finem ordinantis ac dirigentis eam subordinationem, cōpleatur & perficiatur. Hoc significatur à Christo Luc. 11. v. 17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. &c. Et si Satanas &c.* Et ab Apostolo Ephel. 6. v. 12. inter dæmones referuntur *principatus & potestates*, quibus 1. Cor. 15. v. 24. adduntur *virtutes*, vbi dicitur: *Deinde finis; cū traherit regnū Deo & Patri, cū euacuauerit omnē principatū, & potestatem, & virtutem.* vbi glossa ordinaria: *Quandiu, inquit, durat mūdus, Angeli Angelis præfunt, demones demonibus, homines hominibus, ad utilitatē videntium, vel ad deceptionē; sed hominibus collectis, iam omnis prælatio cessabit, quia necessaria non erit.* Et Augustinus l. 83. q. 69. ait: *Euacuando omnem principatū & potestatem, manifestari & omnibus notū fieri, nullum principum vel potestatum, siue celestium, siue terrestrium, per se habuisse aliquid principatus vel potestatis, sed ab illo, ex quo omnia, non solum vsunt, verum etiam vt ordinata sint.* Et ratio est. Quia prælatio inter naturas speciē distinctas, & ex se inuicem sua natura pendere aptas; fundatur in ipsa præstantia naturæ, secundum quam inferior à superiori dependet; hæc autem diuersitas naturarū conuenit Angelis, tam bonis, quam malis, vt dictū q. 1. dub. 1. Ergo. Qua ratione etiam S. Thomas loc. cit. sentire videtur, ex ipsa quoq; præcise natura rei, atque in omni statu, Angelos inferiores fuisse superiorib⁹ subiectos: quod tamen negat Suarez cit. capit. 2. l. à num. 14.

4 Sane quia Angeli mali ab initio motiōi Luciferi se peccando submiserunt, tum etiam vt post lapsum eorum regnum in ordine ad seducendos homines stabile esset, valde credibile est, inferiores etiam voluntarie consensisse in prælationem superiorum; etsi nec dubiū, quin in ipsa executione, pro libertate arbitrij sui, sæpe etiam reluctentur, vt recte Valentia loc. cit. præterquā quod diuinæ prouidentie ordo ad bonum finem hæc omnia ordinantis non permittit, vt suo arbitratu singuli ad hæc studia ferantur: etsi quidem positue etiam nō velit aut intendat, vt inferiores superiorib⁹ in prauis eiusmodi studijs & pcurationibus obtemperant; quia malū velle non potest. Sed nec Deus ipse, ob eandem causā, positue

inter

inter dæmones ministeria nocendi distribuit, ut significat Bonaventura in 2. d. 6. quast. ult. sed potius Lucifer, ut eum S. Thoma q. 114. a. 1. & Guilielmo Parisiensi recte Suarez cit. capit. 21. à numero 25. Quæ autem præterea in particulari à nonnullis circa hanc prælationem referuntur, tum à Guilielmo Parisiensi loco citato capit. 5. 8. & seq. tum ab alijs, incerta sunt, ut post Binsfeldium libro 6. de maleficijs prælud. 10. recte notavit Suarez cit. capit. 21. numero 21. Quomodo autem superiores dæmones etiam possint inferiores violenter loco mouere, vel sistere; et si directe eos ad aliquid agendum cogere non possint, patet ex dictis quast. 5. dub. 2.

5 Tertio queritur, an dæmones ab exordio mundi, & nunc etiam cunctos homines ex æquo infestent. Respondeo, sine permissione Dei, dæmones nihil in hac refacere posse, ut inferius dicetur; & vero hac permissione non exclusâ, iuxta SS. Patrum & Scripturæ doctrinam, discrimen est inter varios status seu ætates mundi. Nam in statu innocentie non permissus est dæmon ita tentare hominem, sicut post peccatum: illic enim solum exterius suadendo tentauit; postea vero etiam interius alliciendo seu inclinâdo, ut dice-

6 Secundo post peccatum usque ad Christum multo infestius tentare ac persequi homines permissus est, quâ post aduentum Christi: hinc enim passim idolorum responsa cessabant; nec tam frequentes, ac prodigiosæ elementorum perturbationes à dæmonibus excitari potuerunt, præsertim ubi crucis Christi trophæum erectum, aliisque fidei nostræ symbola in usu essent. Quo tempore etiam usque ad persecutionem Antichristi, Lucifer in inferno alligatus creditur. Apocal. 20. v. 2.

7 Tertio inter ipsos etiam homines hoc tempore discrimen est, quia baptizatos vniuersim & à toto genere minus permittitur infestare, præsertim externis & violentis machinationibus, quam infideles non baptizatos; uti etiam è terris Ethnicorum ac gentilium, nempe Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, multo horribiliora diabolice virtutis ac potentie documenta ad nos scripta transmittuntur, quam in terris Christianorum audiuntur. Ut cum illic dæmones visibiles ac familiariter palam inter homines versantur, docent, monent, puniunt &c. cum supra fidem prodigiosas sæpe tempestates cient, aliisque eis noua documenta inferunt; quorum etiam nonnunquam etiam vicini, seu permixti inter Ethnicos Christiani participes fiant, credibile tamen est, ea non nisi ob Atheismi seu gentilismi impietatem, communiter ijs locis adeo inolitam, à DEO permitti. Idem fere seruata proportione dici potest de fidelibus iustis, si cum peccatoribus conferantur.

8 Quarto discrimen est inter tempora postrema, seu extremo iudicio vicina; & anteriora. Nam sub tempus persecutionis Antichristi, rursum soluetur Lucifer, maioriq; tyrannide seruire permittetur, ut colligitur ex Apocal. 20. v. 3. 7. & 9. De qua re passim agunt SS. Patres, speciatim Cyprianus lib. 7. epist. 4. seu epist. 77. Lactantius lib. 2. Instit. capit. 15. Athanasius in orat. cont.

gentes, Chrysostomus homil. 1. ad populum, Gregorius Nazianzenus orat. de nativ. Christi. Augustinus 20. de ciuit. cap. 7. & serm. 197. de temp. & Gregorius lib. 32. Moral. cap. 12. ubi tempore gratiæ dæmonem dicit esse ligatum; quia potentia diuina dispositionis adstringitur, ne in quantum nocere valet, effluat.

Interim recte Suarez citat. cap. 18. numero 17. annotat, eam dæmonis potentiam non semper limitari à DEO, pro ratione, aut certa conditione, seu statu personæ, vel Ecclesiæ; sed sæpe Deum, pro solo suæ voluntatis consilio, ac libera electione, hunc grauius, illum leuius; hunc frequentius, illum rarius; velin hac, vel in illa materia tentari permittere; ac vniuersim aliter electorum tentationes moderari, quam cæterorum. Quia in hoc nulli facit iniuriâ, & cui vult, facit maiorem gratiam.

10 Quarto queritur, qua ratione vniuersim dæmon homines infestet. Respondeo iuxta S. Thomam q. 111. a. 1. 2. 3. 4. & q. 114. a. 4. & 1. 2. q. 8. a. 1. & 2. generatim hoc eum facere duobus modis; primo exterius, & per effecta externa affligendo, siue tentando; siue interim simul visibilis ipse in assumpto corpore appareat; siue non; iuxta ea, quæ de hac re generatim docuimus quastion. 5. Secundo interius alliciendo; non quidem directe & immediate inclinando voluntatē; hoc enim Dei propriū est; sed prauas suggestiones seu cogitationes, phantasmatum seu humorum commotione, ingerendo. Quia ut ex communi bene docet Suarez lib. 8. c. 18. n. 8. diabolus non aliter tentat hominē, quam imittendo prauas cogitationes, vel interius phantasmata (motus spiritibus animalibus, quæ sunt quasi vehicula phantasmatum) aut etiam ipsum corpus humoresque commutando, vel exterius obiecta sensibilia incitantia ad malum offerendo, vel etiam aliquando exterius sub diuersis figuris apparendo, & loquendo; adde, vel varijs effectibus, quos ipse per se, aut per causas secundas, producere potest, hominē cruciando, ut fuisse persequitur Cassianus collat. 7. à cap. 9. usque ad 16. In qua re tamen omni, *Benedictus Deus non patitur nos tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione prouentum.* 1. Cor. 7. v. 13.

11 Quinto queritur, an diuersi dæmones sub diuersis ducibus destinati sint, qui ad diuersa vitia ex instituto impellant, eorumque propagationem promoueant. Affirmant Origenes homil. 15. in Iosue, Hieronymus in Abacuc 3. & Ephes. 6. Cassianus collat. 7. cap. 17. Magister in 2. d. 6. & Guilielmus Parisiensi loco cit. aliisque apud Binsfeldium citat. prælud. 10. Nec est incredibile; sed incertum, ut bene Suarez lib. 8. capit. 21. numero 28. Sicut enim idem bonus Angelus ad cuiusque virtutis honestatem promouet, ita vero simile est, ad quodlibet vitium pro re nata impellere ex dæmonibus quemlibet, ut docet etiam Gregorius lib. 32. moral. cap. ult. Et quamuis in scriptura quidam dicatur *spiritus mendax* 3. Reg. 22. alius *spiritus fornicationis* Osee 4. alij *spiritus seductores* 1. Timoth. 4. non est tamen necesse; ut hi spiritus intelligantur ex parte subiecti seu personæ esse diuersi.

72 Sexto quæritur, an dæmon victus in oppugnatione hominis, saltem ad tempus recedat, hominemque dimittat; statim enim ad inferos detrudi, præced. dubio negatum est. Respondeo iuxta communem affirmatiue. Ita tradunt S. Thomas 1. p. q. 114. a. 5. Egidius, Richardus, Durandus & alij in 2. dist. 6. & colligitur ex Luc. 4. v. 13. *Et consummat à omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.* Et Iacob. 4. v. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Verum hoc intelligendum moraliter & ordinarie nõ post singulas partiales quasi tentationes, sed post totã aliquam machinationem, quæ pluribus sæpe insultibus constat, perfecte deuictam: pudet enim tunc quodammodo dæmonem amissæ victoriæ, sibiq; à victore metuit: præterquã quod hoc benignitati diuinæ prouidentia admodum consentaneum est, vt victorem aliquantisper subleuet. Quod tamen non obstat, quo minus postea dæmon audacior insinat, iuxta Matth. 12. & Job. cap. 1. & 2. & Gregorium lib. 10. epist. 38. & lib. 3. Moral. c. 8. & l. 3. c. 16. & Cyprianũ epist. 6. vbi ait: *Fortiorem magis agere creditur, & acrior factus, hoc ipse, quod victus est, super antè superare conatur.*

13 Septimo quæritur, an sicut de bonis Angelis sequenti dubio dicitur, ita etiam Deo permittente, & Lucifero disponente, ex malis Angelis, singulis hominibus à natiuitate proprius adiunctus sit aduersarius & impugnator. Respondeo ex communi & valde probabili sententia Doctorum, affirmatiue. Ita enim cum Magistro in 2. d. 6. communiter tradunt alij Scholastici; & docent Origenes homil. 35. in Luc. & 3. periarchon cap. 2. Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis, Tertullianus lib. de anim. cap. 39. vbi multa Pamelius n. 451 & plura Eugubinus lib. 8. de perenni Philosophia, & probabile censent Gregorius de Valentia disp. 8. q. 3. pun. 4. Vasquez disp. 245. cap. 1. Suarez hic lib. 8. cap. 21. num. 31.

Ratio est. Quia dæmon studio nocendi cupit ex aduerso, quoad potest, paria facere cum Deo; nec deest facultas; quia tametsi non sit tanta multitudo dæmonum, quanta Angelorum, facile tamen credi potest, etiam ex infimo ordine tantum esse numerum dæmonum, quantum est omnium hominum simul viuentium; præterquam, quod verisimile est, aliquando etiam fortasse ex superiori ordine ad idem officium aliquos destinari. Deus autem obeandem causam hoc ipsum facile permittit, ob quam vniuersim homines à dæmonibus tentari permittit.

14 Octauo quæritur, vtrum dæmones suo arbitratu, sine speciali permissione Dei possint homines tentare, eisque siue per se, siue per striges nocere. Respondetur in modum sequentem. I. sine permissione aliqua diuina nihil in hoc genere dæmones præstare possunt. Ita omnes; & tradunt passim SS. Patres, speciatim Cyprianus in exposit. orat. domin. Augustinus in Psal. 61. & 100. Damascenus lib. 2. cap. 4. & Bernardus lib. ad fororem cap. 67. Ratio est. Quia nihil fit, nisi Deo vel faciente, vel permittente.

15 II. In consuetis tamen modis impugnandi non est opus speciali permissione Dei; tametsi etiã in

his subinde Deus per se, vel p Angelos eorũ conatus impedit vel infringit. Ratio est. Quia hæc potestas permilla intelligitur, sub generali permissione homines tentandi.

III. Specialia tamen nouimenta, siue in rebus externis, siue in personis, inferre hominibus per seipos non possunt, neque extraordinarios & prodigiosos tentandi modos adhibere, absque speciali, in vnoquoque casu particulari, permissione Dei: Colligitur aperte ex scriptura, exemplo Iobi c. 1. v. 12. & c. 2. v. 6. & exemplo Achab lib. 3. Reg. c. 22. v. 2. item documento porcorũ Matth. 8. v. 39. Idem docent Damascenus lib. 2. fid. cap. 4. Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 8. & in psal. 77. & ferm. 193. de temp. & lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. Ratio mox afferetur.

16 IV. Sed nec per striges aut maleficos, sine speciali, in vnoquoque casu particulari, permissione Dei, dæmones nocere hominibus possunt; sicubi striges non adhibeant res naturaliter homini nocivas. Colligitur ex ipsdem scripturis, & testimonijs. Quocirca nec potest dæmon, suo arbitratu, tempestates ciere, etiam si striges scopis adhibitis, ollauæ malefica effusa, diaboli in eam rem opem inuocent; tametsi facilius hoc casu permittat Deus, exoptatum à strige malum per dæmonem inferri; quia saltem aliqua ad eam rem hominis cooperatio accedit.

17 V. At vero quando striges à diabolo vnguentum venenosum seu naturaliter noxium acceperunt, tunc sane suo ipsæ arbitratu, nisi Deus speciatim conatus obstat, eo vti, eiusque vsu & applicatione, quibus volunt, nocere possunt. Ratio est, Quia Deus ligauit diaboli potestatem, ne per se, suoque arbitratu noceat, vt colligitur, ex Luc. 11. versu 22. & Apocalyp. 20. versu 2. nec vnquam generale fecit ei potestatem, naturis rerum suo arbitratu vtendi, aut nocendi vti liberet. At vero hominibus, in hac vita, reliquit liberam potestatem, rebus naturalibus vtendi suo arbitratu, seu bene, seu male.

18 Atque ita quoque docet Trithemius lib. quæst. ad Maximil. I. Imperatorem q. 7. vbi inter cetera etiam recte cauet, ne maleficium nouo maleficio depelli à Magistratibus permittatur. *Non sunt, inquit, inter Christianos tolerandi, O sacratissime Cesar, homines mente corrupti, & reprobi circa fidem, qui per maleficia curant maleficias; qui furta ministerio dæmonum reuelant & adulteria; qui lapidum aut speculi inspectione prænuntiant futura. Non exaudias illos, precor, qui diuinarum legum ignari, huiusmodi ministros dæmonum imperio suo existimant viles; propterea quod maleficio nouerunt maleficia dissoluere. Quoniam ista perniciofa curatio corporum mortem inducit animarum, & facit homines à Deo creatore omnium recedere, & impijs apostatis dæmonibus adhaerere; cum quibus post mortem damnabuntur in æternum.*

19 Nono quæritur, Vtrum omnes tentationes, omniaque peccata hominum, ex dæmonum machinatione proueniãt. Respondeo cum S. Thoma q. 114. a. 3. mediate quidem & remote omnia peccata, omnesque tentationes à dæmone prouenire; quatenus induxit primũ hominẽ ad peccatũ,

ex quo

ex quo concupiscentia & natura corruptio, adeoque cætera peccata consecuta sunt, de quo nulla est controuersia: directe vero & immediate non est omnium peccatorum seu tentationum causa; sed quædam ex libertate arbitrii nostri propriæque carnis corruptione nascuntur; iuxta illud Iacob.

1. v. 14. *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illicitus.*

Idem docent Origenes lib. 3. Periarchon capit. 2. Basilius in reg. breu. num. 75. Chrysostomus homil. 54. in Acta & in opere imperf. homil. 49. Gregorius Nazianzenus carm. seu metro 52. Gennadius libro de Eccles. dogm. capit. 81. & Gregorius lib. 11. Moral. capit. 25. etsi contrarium significant Leo ferm. 4. de Collect. Auctor ferm. 68. ad Fratres in Eremito, apud Augustin. Hieronym. in Eph. 6. Cassianus Collat. 7. Damascenus lib. 2. capit. 4. quibus fauet Suarez hic lib. 8. capit. 19. à num. 20. cum nonnullis recentioribus.

Ratio patet ex dictis. Quia cum concupiscentia partim sua natura sæpe fortuitis quibusque casibus ab extrinseco excitetur, non est verisimile, à dæmonibus omnes eiusmodi tentationes imitari; ut unquam; alias in suo labore & perpendi studio sint indefessi, de qua re pluribus differit Cassianus collat. 7. c. 7. 15. 20. & collat. 8. c. 12.

Decimo quæritur, quid sentiendum sit de varijs dæmonum partitionibus, quas nonnulli graues auctores à varijs nocendi studijs, aut habitatorum diuersitate desumptas tradunt. Respondeo. De hac re agit Trithemius l. 8. qq. q. 6. vbi Orpheum, Psellum, & ipsius Apollinis Pseudooraculum, apud Eusebium lib. 4. demonstrat. Euangere secutus, sex dæmonum genera recenset, nimirum igneum, aereum, terrestre, aquaticum, subterraneum, & lucifugum; eorumque etiam studia & affectus plixie describit. Sed hæc examine indigent; & vniuersim nec pbanda sunt, nec improbanda videntur, vt notauit etiam Delrius lib. 2. qu. 27. sect. 2. Certe S. Ignatius Martyr epistol. ad Ephes. ab ipso etiam Trithemio relatus, duo tantum eorum genera, omisso igneo, assignat, cum ait: *Nihil melius est, quam pacem habere, in qua omne telum euacuatur, aereorum simul, & terrestrium spirituum.* Sub quibus vtique eos etiam, qui in aquis, & speluncis quandoque hominibus infesti sunt comprehendit.

Nec vero simile est in regione ignis aliquos demones ordinarie habitare, quando ab Apostolo Ephes. 6. Rectores tenebrarum, & à Iuda caliginis, seu caliginoso aëri adscripti dicuntur: nec est quicquam, quod in regione ignis aduersus homines machinentur. Quod si dæmonum genus igneum dicatur, ab igne infernali, iam omnes dici poterunt ignei; non solum quia ab igne omnes patiuntur, sed etiam quia alternatim, & ad tempus omnes aliquandiu inferis addicuntur; vt superius dub. præced. dictum. Ob quam causam etiam non est verisimile, eosdem numero spiritus perpetuo aut in aquis, aut in speluncis degere, sed pro concurrentium circumstantiarum varietate, varijs in locis, ad seducendos homines, incurbere.

Tom. I.

Plenius ex scriptura varia dæmonum studia, & affectus describit Cassianus collat. 7. capit. 32. vbi tamen & illud, tum Trithemio commune, pia interpretatione indiget, cum ait, quosdam dæmonum solummodo Iocutores esse; *vt non tormentis hominum, sed derisione delectentur; & illusione contenti, fatigare potius studeant, quam nocere.* Quorum similia etiam habet S. Antonius apud Athanasium in vita eiusdem: nimirum, quia plus illis diuinitus non permittitur, vt recte ab Henrico Guickio in citatum locum Cassiani annotatum. Vide quæ in simili diximus supra. quæst. 1. dub. 1. de imperitia & inertia dæmonum. Plura de dæmonum tentationibus & studijs ex Patribus & historijs Cocciustom. 1. l. 4. a. 5. & 6.

D V B I V M VIII.

De Præsidio, ministerio, ac custodia bonorum Angelorum, erga homines, aliasque res creatas.

S. Thom. 1. p. q. 112. & 113.

Contra malum bonum est, & contra mortem vitam. Et sic intueri in omnia opera Alijsimi; duo & duo; & unum contra unum, inquit Ecclesiasticus c. 33. v. 15. Quando igitur de infestationibus dæmonum actum est dub. præced. sequitur, vt etiam de protectione & custodia bonorum Angelorum agamus, totamque adeo materiam de Angelis hoc argumento feliciter concludamus; de quo S. Thomas ex instituto agit cit. q. 112. & 113. Nos vero vt in præcedenti dubio factum, aliquot quæstiunculis rem paucis complectemur.

Vbi tamen primo illud veluti ex fide certum principium vniuersim supponimus, bonos Angelos esse ministros Dei, in procuranda & promouenda hominum salute, ac proinde in hæc studia varijs modis, iuxta benignissimam diuinæ prouidentie dispositionem, incumbere; ac sæpe tum visibiliter (vt dictum quæst. 5. dub. 5.) tum inuisibiliter ad homines, seu in has terras mitti; vt patet tum ex plurimis alijs Scripturæ testimonijs, paulo post inferius referendis, & ex parte relatis supra cit. dub. 5. tum generatim ex illo Apostoli Heb. 1. v. 14. *Nonne omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?*

Supponimus secundo, id quod non minus certum, & extra controuersiam est, absolute loquendo, à Deo mitti posse ad hanc procuracionem omnes Angelos, imo vero reipsa quoque; aliquando à Deo destinari omnes, si non missione externa, quæ fit per motum localem, certe tamé internam, (licet hæc sit minus proprie dicta missio, vt bene Suarez lib. 6. cap. 9. num. 17.) quæ fit per illuminationem, qua superior Angelus, in gratiam & commodum hominum, Angelos inferiores illuminet: vt vel ob hanc etiam causam ab Apostolo omnes Angeli dicantur *administratores spiritus* cit. Heb. 1. prout etiam docet S. Thomas q. 112. a. 2. ad 1. His positis,

Quæritur primo, an ex omni hierarchia, & or-

Ttt 3

dine,